



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 131. Vtrum Angeli possint differre solo numero, itaut non differant
specie.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

cundum idem esse adequatum mouens, & motum, concedo: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Nullum ens potest adequatè mouere se ipsum ad vllum esse, & ad vllam perfectionem, ideoque omne, quod mouetur, ab alio mouetur, vt dictum est quaest. 19. de Deo, num. 4. Et ratio est, quia mouens adequatum supponitur præhabere perfectionem, ad quam mouet: motum præsupponitur non præhabere perfectionem, ad quam mouetur: sed non potest idem secundum idem præsupponi habere, & non habere eandem perfectionem: ergo non potest idem secundum idem esse motum, & mouens adequatum. Ideo cum aliquid mouetur, debet distingui mouens, & motum: sed non requiritur, vt mouens sit pars substantialis illius, vel illi intrinseca: potest enim esse, vel accidens moti, vel mouens extrinsecum moto. In casu nostro, cum Angeli mouent se ipsos ad intelligendum, concurrunt species, quæ est accidens Angelum, & concurrunt etiam obiectum extrinsecum: cum mouent se ipsos ad volendum, concurrunt cognitio boni, quæ ad volendum mouet: cum se mouent localiter, concurrunt cognitio, & volitio, qua volunt se mouere: ac præterea, semper concurrunt Deus, vt primum mouens immobile: ergo nunquam Angeli mouent adequatè se ipsos, & semper potest assignari duplex pars, vel quasi pars, altera, quæ mouetur, altera quæ mouet.

QVÆSTIO CXXXI.

Vtrum Angeli possint differre solo numero, ita vt non differant specie?

S. Th. q. 50. a. 4.

1. **P**rimo videntur Angeli non posse differre specie, sed solum posse differre numero. Animæ enim rationales, hoc est intellectus imperfecti, & ordinati ad animanda corpora, non possunt differre specie, sed solum, possunt differre numero: ergo Angeli, hoc est intellectus perfecti, & non ordinati ad animanda corpora, non possunt differre specie, sed solum possunt differre numero.

2. Secundo intellectus, qui conueniunt in gradu immaterialitatis, conueniunt etiam in gradu intellectualitatis, ac proinde sunt æquè intellectiui, ac non differunt specie: sed omnes Angeli conueniunt in gradu immaterialitatis, cum sint æquè separati à materia, & à corpore; ergo &c.

3. Tertio differentia secundum magis, & minus, non est specifica, ideoque visiones Dei, licet vna sit perfectior alia, non differunt specie, quia solum differunt per hoc, quod vna magis, altera minus penetret idem obiectum; sed Angeli differunt solum per hoc, quod vnus est magis, alter minus intellectiuius: ergo.

4. Quarto quæ differunt specie, debent differre in prædicato præcipuo, & nobilissimo: sed Angeli non differunt in intellectualitate, quæ est prædicatum ipsorum præcipuum, & nobilissimum, sed solum differunt in taleitate intellectualitatis, quæ est prædicatum secundarium: ergo.

5. Quinto videtur, quod saltem sint possibiles plures Angeli eiusdem speciei, & omnino similes in essentia. Possunt enim dari plures homines, & plures animæ rationales omnino similes in essentia, adeoque eiusdem speciei: ergo possunt etiam dari plures Angeli omnino similes in essentia, & eiusdem speciei.

6. Sexto spectat ad diuinam omnipotentiam, vt producta vna anima rationali, possit producere aliam omnino similem; ergo spectat ad diuinam omnipotentiam, vt producta vno Angelo, possit producere alium omnino similem. Confirmatur: nam artifex postquam fecit aliquod opus, puta horologium, debet posse facere aliud omnino simile: ergo etiam Deus.

7. Septimo sicut animæ rationales ordinantur ad materiam informandam, sic Angeli ordinantur ad materiam regendam: ergo sicut animæ rationales differunt solo numero per hoc, quod ordinantur ad diuersam materiam informandam, sic Angeli possunt differre solo numero per hoc, quod ordinantur ad diuersam materiam regendam.

8. Octauo sicut species rerum debent esse indefectibiles physice, sic debent esse indefectibiles moraliter: sed si species Angelorum essent immultiplicabiles, essent defectibiles moraliter, ac de facto peccando, tot defecissent moraliter species Angelorum, quot Angeli peccarunt; ergo.

9. Nono Angeli sunt sociales, ac debent amicabiliter viuere; sed perfecta amicitia dari non potest, nisi inter indiuidua eiusdem speciei: ergo &c.

10. Respondeo, quod pro resolutione questionis duo sunt supponenda ex philosophia circa differentiam specificam, & purè indiuidualem. Primo supponendum est ex dictis quaest. 32. Log. conc. 5. non posse aliqua distinguere inter se, absque eo quod habeant aliquam dissimilitudinem entitativam, ac proinde quæ distinguuntur, non posse esse omnino similia. Probatur: vt enim duo distinguantur, debent esse mutuo verè negabilia, dicendo *vnus non est aliud*: sed quæ sunt omnino similia, non possunt verè mutuo negari, dicendo *vnus non est aliud*; ergo. Probatur minor. Ponamus duos homines omnino similes: eo ipso conceptus comprehensiuus ipsorum erunt omnino similes, ac se habebunt, sicut duo conceptus repetitiui dicentes A. A. si enim dicant A. B. eo ipso non sunt omnino similes; ergo si vnus negaretur de altero, dici deberet *A non est A*; sed hæc propositio *A non est A*, est euidenter falsa, contradictoria autem *A est A*, vt potest idem.

identica, est euidenter vera; ergo ut duo distinguantur, non debent esse omnino similia, nec debent se habere ut A, & A, sed debent habere aliquam dissimilitudinem entitativam, & debent se habere ut A, & B. Confirmatur: nam Personæ diuinæ distinguuntur inter se distinctione omnium minima, & tamen non se habent sicut A, & A, sed sicut A, & B. Vna enim est Pater, alia Filius, tertia Spiritus Sanctus, & distinguuntur relationibus, non solum dissimilibus, sed etiam oppositis.

11. Posito, quod non solum quæ differunt specie, sed etiam quæ differunt solo numero, debeant habere aliquam dissimilitudinem entitativam, quæritur, quænam dissimilitudo entitativa sit solum numerica, quæ sit specifica? Ut hoc explicetur.

12. Supponendum secundo ex dictis q. 40. logicæ, quod ea differunt solo numero, quæ cum in alijs prædicatis per se sint omnino similia, sunt entitativè dissimilia solum per ordinem ad circumstantias individuales, hoc est ad diuersum agens, diuersum subiectum, diuersum locum, & diuersum tempus: quæ verò per se differunt etiã præscindendo ab ordine ad agens, subiectum, locum, & tempus, differunt specie. Explicatur. Si duo calores sint omnino similes quoad alia prædicata, ac solum differant per hoc, quod alter debet produci à Sole, alter ab igne, differunt solo numero, quia differunt solum per ordinem ad agens. Si duæ rotunditates omnino similes quoad reliqua, differant solum per hoc, quod altera est restructio auri, altera argenti, differunt solo numero, quia differunt solum per ordinem ad subiectum. Si duo equi sint omnino similes quoad reliqua, ac solum differant per hoc, quod alter debuit nasci hoc loco, & tempore, alter alio loco, ac tempore, differunt solo numero. E conuerso quæ differunt, & sunt entitativè dissimilia secundum se, præscindendo ab ordine ad agens, subiectum, locum, & tempus, differunt specie.

13. Probatur iam prima pars suppositi, quod nimirum quæ differunt, & sunt dissimilia solum per ordinem ad agens, subiectum, locum, & tempus, non differant specie, sed solo numero. Nam non debet censerì specifica illa differentia, quam Aristoteles, & cum eo omnes penè philosophi censuerunt esse solum numericam; sed Aristoteles, & omnes penè philosophi censuerunt differentiam per ordinem ad agens, subiectum, locum, & tempus esse solum numericam; ergo. Probatur minor: Aristoteles enim, & cum eo omnes penè antiqui philosophi censuerunt dari seriè effectuum, adeoque esse determinatum ex natura rei, ac non pendere à solo arbitrio Dei, ut in his circumstantijs producatur hoc potius indiuiduum, quam aliud; ergo censuerunt omnia indiuidua etiam eiusdem speciei infimæ differre per hoc, quod ordinentur ad diuersum agens, subiectum, locum, & tempus; ergo censuerunt differentiam præcisè per ordinem

ad hæc non esse specificam, sed merè numericam, & indiuidualem; adeoque qui existimant hanc differentiam esse specificam, in conceptu, ac definitione differentię specificę recedunt ab Aristotele, & ab omnibus antiquis philosophis, à quibus cum agitur de explanationibus nominum, ac de definitionibus rerum non est recedendum.

14. Hinc potest inferri, sententiam à me traditam de dissimilitudine entitativa omnium indiuiduorum in aliquo prædicato per se illis conueniente esse Aristotelis, & omnium philosophorum gentilium, & plurimorum scholasticorum. Aristoteles enim, & omnes philosophi gentiles concesserunt seriè effectuum, ac proinde censuerunt omnia indiuidua differre per ordinem ad circumstantias agentis, vel subiecti, loci, vel temporis; ergo censuerunt omnia indiuidua esse dissimilia in aliquo prædicato entitativo per se illis conueniente. Ex Scholasticis Thomistæ cum S. Thoma admittunt seriè, ac docent differentiam numericam desumi per ordinem ad circumstantias individuales loci, temporis &c.; ergo admittunt dissimilitudinem entitativam indiuiduorum. Scotistæ cum Scoto licet negent seriè, adeoque negent indiuiduationem consistere in ordine ad circumstantias individuales loci, temporis &c. nihilominus dicunt indiuidua distinguì per hæcitates absolutas primo inter se diuersas, & contrarias; sed quæ sunt primo diuersa, & contraria, sunt dissimilia; ergo etiam Scotistæ cum Scoto admittunt omnia indiuidua esse dissimilia in aliquo prædicato per se illis conueniente.

15. Confirmatur: nam si dissimilitudo entitativa purè per ordinem ad subiectum esset specifica, omnia accidentia modalia subiectorum specie diuersorum differrent specie, etiam si in alijs prædicatis essent omnino similia: e. g. rotunditates auri, argenti, aris &c. etiam si in ratione rotunditatis sint omnino similes, tamen quia differunt per ordinem ad subiectum, differunt specie, adeoque tot essent species rotunditatum, quot sunt species corporum rotundorum. Rursus motus, quibus mouentur deorsum grauius specie diuersa, differrent specie, etiam si sint omnino similes in ratione motus, adeoque tot essent species motuum, deorsum, quot sunt species subiectorum, quæ possunt deorsum moueri. Hæc autem sunt contra communem sensum, & contra axiomata communiter recepta, quod motus specificentur à termino, quod differentia, per quã figuræ differunt solum in ordine ad subiectum, est purè materialis, adeoque indiuidualis.

16. Probatur iam secunda pars suppositi, quod nimirum quæ per se differunt, præscindendo ab ordine ad subiectum, agens, locum, & tempus, eo ipso differunt specie. Nam quæ sunt dissimilia in eo, quod est formaliter species, & quidditas rei, differunt specie; sed species, & quidditas rei formaliter consistit in,

D d d

præ-

prædicatis, quæ conueniunt rei, præscindendo ab agente, subiecto, loco, & tempore; ergo &c. Probatur minor: species enim, & quidditas rei consistit in prædicatis, per quæ res primo constituitur; sed res primo constituitur per prædicata præscindendo ab agente, subiecto, loco, & tempore: ex. gr. prius intelligimus rotunditatem constitutam in se ipsa, deinde verò intelligimus, quod ordinatur ad hoc subiectum, puta ad aurum, vel argentum: prius intelligimus hominem constitutum in se ipso, deinde quod ordinatur ad hoc, ut generetur ex his parentibus, hoc loco, & hoc tempore: ergo species consistit in prædicatis præscindentibus ab ordine ad circumstantias agentis, subiecti, loci, & temporis.

17. Confirmatur: nam in ijs prædicatis consistit quidditas, quæ scientiæ contemplantur, & quærunt per suas definitiones; sed scientiæ contemplantur prædicata, quæ conueniunt rebus, præscindendo à subiecto, agente, loco, & tempore; ergo. Probatur minor: mathematica enim considerat figuras secundum eas differentias, per quas differunt, præscindendo à subiectis, & proprietates ex talibus differentiis consequentes: differentias verò figurarum per ordinem ad subiectum &c. mathematica non considerat: physica considerat colores secundum se, & eorum differentias, & proprietates, differentias verò colorum per ordinem ad agens, subiectum, locum, & tempus physica non considerat; ergo &c.

18. Ex his reuocatur opinio Scoti, & Scotistarum docentium indiuiduationem consistere in aliquo prædicato absoluto. Differentia enim, per quam res sunt dissimiles, præscindendo ab ordine ad agens, subiectum, locum, & tempus, non est merè indiuidualis, sed specifica: sed si indiuiduatio consisteret in prædicato absoluto, indiuidua differrent, præscindendo ab ordine ad circumstantias agentis, subiecti, loci, ac temporis; ergo differrent specie. Confirmatur: nam ideo rotunditas, & quadratura, rubedo, & viriditas &c. differunt specie, quia sunt dissimiles secundum se, præscindendo ab ordine ad circumstantias subiecti, agentis, loci, ac temporis; sed etiam Petreitas, & Pauleitas essent dissimiles secundum se, præscindendo ab ordine ad tales circumstantias; ergo etiam Petreitas, Pauleitas, & omnes indiuiduationes absolutæ differrent specie. Videri possunt quæ de differentia specifica, & numerica dixi quæst. 40. logica.

19. His positis, dicendum, quod Angeli siue Intelligentiæ, & vniuersim substantiæ immateriales completæ non possunt differre solo numero, sed necessario differunt specie. Docet id expressè Aristoteles 12. metaphysicæ textu 49. Vt enim probet non dari plures cælos solo numero diuersos, sic argumentatur. Si darentur plures mundi, ac plures cæli solo numero diuersi, deberent dari plures primi motores cælorum solo numero diuersi; sed non possunt dari plures primi motores solo

numero diuersi; ergo &c. Minorem probat per hæc verba: *quæ sunt numero plura, ea materiam habent. At quidditas primæ materiei est expressè actus; id ergo quod primum mouet, cum sit immobile, vnum est, & ratione, & numero; & id ergo, quod semper, continueque mouetur, vnum est solum; vnum igitur tantummodo cælum est*: ergo secundum Aristotelem substantiæ completæ solo numero diuersæ habent materiam, ac proinde substantiæ completæ immateriales, quales sunt Intelligentiæ, non possunt differre solo numero. Aristotelem sequitur S. Thomas 1. par. quæst. 50. art. 4. 2. contra gentes cap. 92. & pluribus alijs locis. Scotus verò, licet putet posse dari plures Angelos eiusdem speciei, fatetur ingenuè Aristotelem docuisse oppositum.

20. Probatur iam conclusio. Vt enim Angeli differrent solo numero, deberent esse dissimiles solum per ordinem ad agens, subiectum, locum, & tempus, iuxta dicta num. 12. in secundo supposito; sed Angeli debent esse per se, & entitatiuè dissimiles, siquidem omnia indiuidua debent esse per se, & entitatiuè dissimilia, iuxta dicta numero 10. in primo supposito, & non possunt esse dissimiles per ordinem ad agens, subiectum, locum, aut tempus; ergo Angeli non possunt differre solo numero. Probatur minor: nam Angeli sunt formæ per se subsistentes, & non ordinatæ ad vllum subiectum: ergo debent produci à solo Deo sine vllò concursu causæ secundæ, & extræ subiectum: ergo non possunt differre per ordinem ad agens, aut ad subiectum. Rursus Angeli non debent creari successiuè, sicut animæ rationales, sed debent creari omnes simul ab initio mundi: ergo non possunt differre per ordinem ad tempus, per hoc nimirum, quod vnus Angelus debeat creari vno tempore, alius alio tempore: sed neque etiam possunt esse dissimiles per ordinem ad locum, eo quod vnus debeat produci in vno loco, alius in alio, cum natura merè spiritualis, ac non ordinata ad informandam materiam non debeat pendere à loco; ergo omnes Angeli debent esse dissimiles per se, & entitatiuè, præscindendo ab ordine ad agens, subiectum, locum, & tempus, ac proinde debent differre specie.

21. Sed quæritur, vndenam desumatur differentia specifica Angelorum?

22. Dicendum, quod cum Angeli sint substantiæ purè immateriales, & intellectiue, specie differunt per hoc, quod aliqui sunt magis, aliqui minus immateriales, & intellectiui; sed immaterialitas est quædam simplicitas, & vniuersalitas intelligendi; ergo Angeli differunt per hoc, quod aliqui sint simpliciores, & vniuersaliores, aliqui minus simplices, & vniuersaliores in intelligendo. Explicatur. Ille est simplicior, & vniuersalior in intelligendo, qui potest vnicò actu distinctè cognoscere plura: eo enim ipso ad intelligendum indiget paucioribus actibus: ille verò est mi-

mi-

minus simplex, & minus vniuersalis in intelligendo, qui vnico actu potest distinctè cognoscere pauciora obiecta: eo enim ipso ad intelligendum indiget pluribus actibus: & quia Deus vnico actu cognoscit comprehensivè omnia cognoscibilia, ideo Deus est summè simplex, vniuersalis, & immaterialis in intelligendo. Substantiæ igitur purè intellectiue differunt per hoc, quod aliquæ sunt simpliciores, vniuersaliores, & immaterialiores, aliquæ sunt minus simplices, vniuersales, & immateriales in intelligendo: sed eo ipso, quod aliquis est simplicior, vniuersalior, & immaterialior in intelligendo, est magis intellectiuius, cum possit vnico actu distinctè cognoscere; ergo Angeli differunt per hoc, quod aliqui sunt magis, aliqui minus intellectiui.

23. Hinc inferitur possibiles esse species Angelorum plures, & plures sine termino. Ratio est, quia species Angelorum desumuntur ex maiori, & maiori immaterialitate, vniuersalitate, ac simplicitate intelligendi; sed potest dari maior, & maior simplicitas, & vniuersalitas intelligendi sine termino: ergo. Probat minor: nam maior simplicitas, & vniuersalitas intelligendi desumitur ex eo, quod per vnum actum possint cognosci distinctè plura obiecta, finita tamen; sed in hoc potest procedi in infinitum sine termino: ergo. Probat minor: supremus Angelus, qui datur de facto, potest vnico actu distinctè cognoscere mille obiecta: poterit dari alius potens cognoscere duo millia, & alius potens cognoscere tria millia, & sic in infinitum; ergo.

24. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiã. Opposita est ratio de intellectibus imperfectis, ac de perfectis. Primo enim intellectus imperfecti, quales sunt animæ rationales, ordinantur ad subiectum, & ad corpora informanda, ideoque debent produci cum aliqua dependentia ab agentibus corporeis, ac dispositiuis corporum, ac debent produci in diuersis temporibus, & locis; ergo possunt differre per ordinem ad subiectum, agens, locum, & tempus, ac proinde possunt differre solo numero. E conuerso intellectus perfecti non ordinantur ad vllum corpus, & ad vllum subiectum, adeoque debent omnes produci à solo Deo ab initio mundi, & sine dependentia à loco; ergo non possunt differre per ordinem ad subiectum, & agens, locum, & tempus, adeoque non possunt differre solo numero. Secundo si intellectus ordinati ad corpora specie differrent, deberent ordinari ad corpora diuersæ rationis à corpore humano, adeoque deberet esse possibile corpus præter humanum, quod esset idoneum instrumentum intellectus; sed ostensum est quæst. 129. solum corpus humanum esse idoneum instrumentum intellectus; ergo intellectus ordinati ad corpora non possunt differre specie. E conuerso, vt intellectus non ordinati ad corpora specie differant, sufficit, vt differant secundum varios gradus immaterialitatis, & intellectuali-

tatis; sed sunt possibiles gradus intellectualitatis plures, & plures in infinitum; vt dictum est num. 23. ergo.

25. Ad 2. distinguo maiorem: intellectus, qui conueniunt in gradu generico immaterialitatis, conueniunt etiam in gradu specifico, & vltimo intellectualitatis; adeoque sunt æquè intellectiui, nego: intellectus, qui conueniunt in gradu specifico, & vltimo immaterialitatis, conueniunt etiam in gradu specifico, & vltimo intellectualitatis, ac sunt æquè intellectiui, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiã. Angeli conueniunt inter se, & differunt ab anima rationali in quodam gradu generico immaterialitatis consistente in hoc, vt sint intellectus non ordinati ad vllam materiam, ad vllum corpus, & ad vllum subiectum: at differunt in gradibus specificis, & vltimis immaterialitatis; siquidem aliqui sunt simpliciores, & immaterialiores in intelligendo, alij sunt minus simplices, & minus immateriales in intelligendo, vt explicatum est num. 23.

26. Ad 3. distinguo maiorem: differentia secundum magis, & minus purè consistens in hoc, vt forma ordinetur ad faciendum subiectum magis tale, vel minus tale, non est specifica, concedo: differentia secundum magis, & minus consistens in hoc, vt ratio generica contrahatur per differentias inæquales, non est specifica, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiã. Differentia secundum magis, & minus purè consistens in hoc, vt forma ordinetur ad faciendum subiectum magis, aut minus tale, non est specifica: e. g. differentia, per quam calor intensior differt à minus intenso, non est specifica, quia purè consistit in ordine ad reddendum subiectum magis, aut minus calidum. At differentia secundum magis, & minus consistens in hoc, vt genus contrahatur per inæquales differentias præcidentes ab ordine ad locum, tempus, subiectum, & agens, est specifica, imo omnes, vel pleræque differentiæ specificæ sunt huiusmodi: e. g. differentia specificæ sensuum consistunt in hoc, quod aliqui habent simpliciores, ac maiorem, alij minorem vim sensitivam, eo pacto, quo visus est simplicissimus, adeoque perfectissimus inter sensus; sed etiam Angeli differunt per hoc, quod aliqui sunt simpliciores in intelligendo, adeoque habent maiorem vim intellectiuam, aliqui sunt minus simplices in intelligendo; ergo. Visiones beatificæ non differunt specie, quia cum versentur circa idem obiectum formale, differunt solum in hoc, quod aliquæ constituunt illud magis, aliquæ minus cognitum; ergo se habent, sicut calor intensior, & remissior, qui purè differunt per hoc, quod vnus constituat subiectum magis, alius minus calidum.

27. Ad 4. distinguo maiorem: quæ differunt

D d d 2

runt

runt specie, debent differre in prædicato præcipuo, & nobilissimo formaliter, & secundum quid, concedo; debent differre in prædicato præcipuo, & nobilissimo simpliciter, & materialiter, nego; distinguo eodē pacto minorem; & nego consequentiam. Quæ differunt specie, debent differre in prædicato formaliter, & secundū quid præcipuo, & nobilissimo, non autem in prædicato simpliciter, & materialiter nobilissimo. Ratio est, quia cum res constituatur ex prædicatis determinabilibus, & determinatiuis, quæ differunt specie, debent differre in differentia specifica, quæ est prædicatum determinatiuum aliorum prædicatorum quidditatiuorum; sed determinatiuum formaliter sumptum, cæteris paribus, est prædicatum nobilius determinabili; ergo quæ differunt specie, differunt in prædicato formaliter, & secundum quid nobilissimo. At non est necesse, ut differant in prædicato materialiter, & simpliciter, seu omnibus pensatis, nobilissimo; alioquin ut bene infert sanctus Thomas hac. quæst. 50. art. 4. ad primum, cum in brutis non detur prædicatum simpliciter nobilius prædicato communi sensitiui, bruta non possent differre specie; ergo sicut bruta differunt specie, licet conueniant in prædicato sensitiui materialiter, & simpliciter nobilissimo, sic Angeli possunt differre specie, licet conueniant in prædicato intellectiui materialiter, & simpliciter nobilissimo. Ad hoc autem, ut differentia comparatur ad genus, sicut forma ad materiam, sufficit, ut sit nobilior genere secundum quid, & formaliter in ratione determinatiui, in quantum determinatiuum ex se est nobilius determinabili.

28. Ad 5. ex eo, quod sicut possunt dari plures homines, & plures animæ rationales omnino similes in essentia, sic debent posse dari plures Angeli omnino similes in essentia, nego paritatem. Plures enim homines, plures animæ rationales, & vniuersim plures substantiæ materiales, & plures formæ ordinatæ ad subiectum, eatenus possunt esse omnino similes in essentia, quatenus, posita hac totali similitudine, nihilominus possunt esse per se dissimiles, ac individualiter differre per ordinem ad subiectum, agens, locum, & tempus; sed Angeli non possunt differre per talem ordinem, ut probatum est; ergo necessario differunt in prædicatis absolutis, adeoque differunt specie.

29. Ad 6. nego antecedens. Deus enim, producta vna anima rationali, non potest producere aliam omnino similem; nam eo ipso non esset alia, siquidem se haberet ad primam sicut A. ad A., ac non posset de illa negari; ergo neque producto vno Angelo, potest producere alium omnino similem. Differentia est solum in hoc, quod cum animæ rationales possint esse dissimiles per se in ordine ad subiectum, agens, locum, & tempus, possunt esse omnino similes in prædicatis absolutis, adeoque specificis: Angeli cum non possint esse

dissimiles per ordinem ad subiectum, agens, locum, & tempus, debent esse dissimiles in prædicatis absolutis, ac proinde debent differre specie.

30. Ad confirmationem ex eo, quod artifex, facto vno horologio, debet posse facere aliud omnino simile; ergo etiam Deus: nego antecedens. Artifex enim postquam fecit primum horologium, si faciat secundum, debet illud facere entitatiuè & per se dissimile primo in ordine ad subiectum, agens, locum, & tempus: ergo etiam Deus dum producit secundum Angelum, debet illum facere entitatiuè, & per se dissimilem primo; sed non potest facere per se dissimilem per ordinem ad subiectum, agens, locum, & tempus, cum Angelus non habeat ordinem ad hæc; ergo debet facere per se dissimilem in aliquo prædicato absoluto, ac proinde dissimilem specie.

31. Ad 7. nego antecedens, & paritatem. Series enim naturalis, in qua fundatur indiuiduatio, datur solum ad hoc, ut res primo producantur in tali subiecto, loco, & tempore, ac dependenter à talibus agentibus, non autem ad ea, quæ debent creaturæ rationales agere dependenter ab appetitu, à libero arbitrio, & ab ordinatione superioris; e. g. datur quidem naturalis ordo ad hoc, ut hic homo nascatur ex his parentibus, cum hoc corpore, hoc loco, & tempore; at non datur ordo ad hoc, ut si est rusticus, custodiat potius hunc agrum, quam alium &c. sed ad hæc indiuidua, determinantur ab appetitu libero vniuscuiusque, vel ab ordinatione superioris &c; ergo sicut homines non ordinantur per seriem naturalem ad custodiendum potius hunc, quam alium agrum, sic Angeli non ordinantur per seriem naturalem ad custodiendum potius hunc, quam illum hominem, ad regenda hæc potius, quam alia corpora, sed ad hæc determinantur per liberum arbitrium, & per ordinationem diuinam, deputantem vnumquemque Angelum ad suum ministerium; ergo licet Angeli differant per ordinem ad hæc, talis differentia est solum per accidens, adeoque non potest in ea consistere differentia indiuidualis, quæ debet esse dissimilitudo in prædicato per se conueniente rei.

32. Ad 8. nego maiorem, quod nimirum sicut species rerum debent esse indefectibiles physice, sic debent esse indefectibiles moraliter. Disparitas est, quia si species deficerent physice, vniuersitas rerum amitteret perfectionem physicam talis speciei, ac talis defectus non compensaretur physice alio bono æquivalenti: at si species deficiat moraliter per peccatum, remanet in rerum natura perfectio physica talis speciei, defectus verò moralis compensatur abundè per bonum iustæ punitionis, & per alia bona, quæ Deus elicit ex peccato.

33. Ad 9. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico, quod amicitia perfecta potest dari inter Angelos, licet differant specie. Ratio

tio est, quia perfecta amicitia ex doctrina Aristotelis 8. Eth. cap. 2. est mutus amor non latens, communicatus secretorum cordis, & omnium bonorum; sed licet Angeli differant specie, nihilominus secundum suam naturam sunt ita coordinati, ut possit inter illos dari mutus amor non latens, & communicatus secretorum cordis, & omnium bonorum; ergo. Addo, quod cum datur talis coordinatio naturarum intellectualium, differentia specifica non solum non nocet, sed etiam prodest ad perfectionem amicitie. Nam amicitia tunc est perfectior, & melior cum datur perfectior, & melior bonorum communicatio; ergo. Probat minor: nam melior est communicatio, per quam duo sibi inuicem communicant bona specie diuersa, quam communicatio, per quam sibi inuicem communicant bona eiusdem speciei. Confirmatur hoc ipsum exemplo rerum naturalium, in quibus datur quædam amicitia physica inter res specie differentes, puta inter materiam, & formam; inter actum, & potentiam, inter actiua, & passiuam; ergo etiam in entibus intellectualibus potest dari perfecta amicitia moralis inter naturas specie diuersas, dummodo inter eas detur coordinatio explicata. Hinc patet disparitas, cur licet inter homines, & Angelos non possit dari naturaliter amicitia perfecta, tamen inter Angelos specie diuersos possit dari naturaliter amicitia perfecta. Ratio est, quia primum fundamentum amicitie perfectæ est, ut possit quis intuitiue cognoscere amicum suum, & non solum debeat illum cognoscere abstractiue, & ænigmaticè; sed homines pro statu huius vitæ non possunt intuitiue cognoscere Angelos, sed solum abstractiue, & per ænigmata: Angeli licet specie differentes vident se mutuo intuitiue; ergo.

QVÆSTIO CXXXII.

Virum Angeli naturaliter debeant esse in maximo numero, & plures, quam homines, & alia corpora?

Sacrosanctus Thomas q. 50. art. 3.

1. **P**rimò videntur Angeli esse pauci. Cum enim, ut docet Aristoteles 12. Metaph. cap. 42. & sequentibus, Angeli, siue Intelligentiæ ordinentur ad finem mouendi corpora cælestia, tot Angeli debent dari, quot sunt sphaeræ cælestes; sed sphaeræ cælestes non sunt in magno numero; ergo Angeli non debent esse in magno numero.

2. Secundò si Angeli non deberent multiplicari iuxta numerum corporum mouendorum, nulla esset ratio naturalis, cur Angeli sint tot, & non plures; sed debet dari hæc ratio; ergo.

3. Tertiò videtur Angeli esse pauciores hominibus, & à fortiori pauciores corporibus. Ut enim docet S. Augustinus 22. de Ciuit. cap. 1. & in enchirid. cap. 28. 61. & 62. & Beda in illud Apostoli ad Ephes. 1. *Proposuit reslauare omnia in Christo*, & Anselmus in lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 78. ex hominibus prædestinatis reparandæ sunt ruinæ Angelorum; sed tertia pars Angelorum cecidit, ideoque Apocalypsis 12. Draco dicitur traxisse secum tertiam partem stellarum; ergo homines prædestinati æquant tertiam partem Angelorum; sed homines prædestinati non sunt tertia pars hominum; ergo homines sunt plures, quam Angeli.

4. Respondeo: certum est ex Scriptura Angelos esse in maximo numero. Daniel enim 7. dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Quæritur primo, utrum hic maximus numerus Angelorum requiratur ad perfectionem vniuersi, & ad naturalem finem ipsorum Angelorum? Aliqui existimant finem naturalem Intelligentiarum esse, ut moueant corpora cælestia, adeoque non plures debere dari Intelligentias, quam corpora cælestia mobilia; & quia orbes cælestes sunt pauci, existimant naturaliter dari debere paucas Intelligentias; & hanc opinionem tribuunt Aristoteli 12. metaph. c. 42. & sequentibus, loco citato in primo argumento. Addunt, quod licet Angeli, considerando præcisè eorum finem naturalem, deberent esse pauci, tamen Deus, qui ordinauit ipsos ad finem supernaturalem videndi diuinam essentiam, creauit ipsos in maximo numero.

5. Dicendum, quod etiam considerando naturalem perfectionem vniuersi, & naturalem finem Angelorum, Angeli debent esse in maximo numero, & plures, quam homines, & quam omnia corpora: ideoque Dionysius cap. 14. de cælesti Hierarchia dicit: *Muli sunt beati exercitus supremarum mentium, infinam, & confusam excedentes materialium numerorum commensurationem*.

6. Prima ratio allata à Sancto Thoma hic quæst. 50. art. 3. ac desumpta ex naturali perfectione vniuersi est. Ad perfectionem vniuersi spectat, ut præcipue eius partes, quo sunt superiores, & perfectiores, eo sint quantitate maiores, ideoque videmus, quod corpora inferiora ad corpora cælestia se habent, sicut punctum ad sphaeram; sed duæ præcipue partes vniuersi sunt creatura corporea, & incorporea, hoc est Angeli; creatura autem incorporea, siue spiritalis est incomparabiliter perfectior creatura corporea; ergo ad perfectionem vniuersi pertinet, ut creatura incorporea excedat in quantitate corpoream; sed creatura incorporea non est capax alterius quantitatis, quam discretæ consistentis in numero; ergo ad perfectionem vniuersi pertinet, ut Angeli in numero excedant omnia corpora.

7. Secunda ratio desumpta ex fine naturali